

O praestans facie Virgo, quam clara coronant
Sydera, quae radiis Solis amicta nites,
Sol summus casto quam sic dilexit amore,
Luminis ut plenam iusserit esse sui:
Et me cogit amor laudes tibi dicere cantu, 5
Id tamen absque tua Musa pauescit ope.
Ergo, precor, faueas; nescis tu vota precantum
Spernere, commendat quos tibi vera fides.
Si te igitur nostri fortuna miserrima tangit,
Nunc aures precibus pande benigna meis. 10
Nunc sorti succurre meae, regina, superni
Sis licet imperii, sim cinis ipse licet.

O sapiens virgo prudentumque agminis una
Primaque virgineos inter habenda choros;
O fidum miseris atque impenetrabile scutum 15
Contra fortunae tela minasque necis;
O fessi requies animi certumque leuamen
His, quorum mentem feruida cura coquit,
Illos, quaeso, oculos, quibus expirantia nati
Ora videns flebas icta dolore graui, 20
Ad sortis conuerte meae seriemque statumque
Meque tuo auxilio consilioque iuva.

O splendore micans cunctorum Virgo bonorum
 Editaque ex illo, cuius es alma parens,
 Praesentis vitae lumen lumenque futurae, 25
 Ianua stelliferi semper aperta poli,
 Filius ille tuus, Virgo, regisque deorum
 Etheria ad nostros venit ab arce domos,
 Teque unam elegit, per quam conuerteret Euae
 In lusum plactus inque iocos lachrymas. 30
 Ergo tui nati tanto me munere dignum
 Effice, namque tibi talia posse dedit.
 Iam tu gemmato regni diademate fulges,
 Iam tibi submittunt castra superna caput.

 Mens humilis super alta tulit te culmina caeli, 35
 Quo, precor, ascendant, quas tibi fundo, preces.
 De te fons placida manans pietate repleuit,
 Terrarum vacuo quicquid in orbe patet:
 De te iustitiae Sol ortus nocte fugata
 Inuexit veri dogmatis ecce diem. 40
 Filia, Sponsa, Parens: tria nomina colligis in te,
 Tanta tibi merito sunt data dona tuo,
 Tu magni Superum regis dignissima mater,
 Qui soluit duro saecula nostra iugo
 Et libertatis donauit munere mundum 45
 Vincisque ereptos duxit ad astra Patres,
 Eius, quaeso, meum transfigas vulnere pectus,
 Quo magis hunc, qui me tam bene amauit, amem.

 Te gentes populique omnes mirantur et omnis
 Te pariter diuum turba verenda stupet, 50
 Nanque tibi similis sanctarum nulla dearum

Esse potest, primi sit licet illa chori.
 Te casti mores, humilis mens, gestus honestus
 Et semper sacro pectus amore flagrans
 Effecere quidem dignam, quae sola maneres 55
 Perpetuum magni numinis hospitium.
 Esse igitur poterit per te mea libera vita
 Tantis, quas patior, solitudinibus.
 Si tamen in nobis seges est ubi multa malorum,
 Germinet oratu gratia multa tuo. 60
 Hinc humilis flexoque genu te postulo supplex,
 Ut mihi sis vitae duxque comesque meae,
 Utque meos gressus per deuia lustra vagantes
 Compellas recti tramitis ire viam.

 Virgo, potens lucis, tenebrarum nescia, nostrae 65
 Fluctibus in mediis sydus et aura ratis,
 Aspice, quam saeuae feriant mea vela procellae
 Concutiantque meum quanta pericla caput.
 Affer opem misero, lasso succurre clienti,
 Auxilium tardet iam mora nulla tuum. 70
 Exigit hoc aetas, albent mea tempora canis,
 Pallent ora, cutem ruga senilis arat,
 Caligant oculi, patulae, surdescitis, aures,
 Vix geritis, tremuli, dorsa repanda, pedes.
 Denique ad extremos aeui peruenimus annos, 75
 Nec tamen auxilii spes mihi parua tui est.
 Peccaui, fateor; quis enim sine crimine viuit?
 Sed rogo, ut ipsa meis iam medeare malis,
 Ne super his Coluber possit ridere superbus
 Meque tuam frustra poscere dicat opem. 80
 Tanquam non semper promptum tibi soluere vinctos?

Aut non concessum iustificare reos?
 Quin potius sis, Virgo, memor, quia culpa reorum
 Te matrem veri fecerit esse dei.
 Exiit humanis indutus carnibus ille,
 Quas de visceribus traxerat ecce tuis,
 Et tibi dona dedit nulli donata piorum,
 Ut sis intacta virginitate parens.

Vide igitur, quantis impleui questibus auras,
 Quales heu gemitus corde dolente dedi,
 Quos lusus qualesque preces, quot carmina frustra
 Effudi fragili captus amore miser.
 Immo ex quo genitum ripis tulit Arnus ethruscis,
 Nulla fuit nobis absque labore dies.
 Nunc has, nunc illas partes peragrauimus orbis
 Per terras, per aquas perque pericla maris.
 Deinde decus formae mortalis, dulcia verba
 Et motus casti signa pudoris habens
 Inuasere meum feruenti pectus amore
 Subiectumque suo detinere iugo.
 Iam, quoniam teritur tempus mihi, Diua, supremum,
 Ne cessa rebus consuluisse meis.
 Ecce dies nostri per plurima crimina lapsi
 Hei mihi quam celeri praeteriere fuga.
 Tam cito threicio cornu volat acta sagitta,
 Ventorum rapidus tam cito turbo volat.
 Praeteriere dies, mors nigris obstrepat alis
 Et curuam falcem iam furibunda quatit.
 Hinc rogo, me tanto subtractum, Virgo, periclo
 Dirige per vitae iam melioris iter.

85

90

95

100

105

110

Illa ego, quam quondam totis affectibus arsi,
 Occidit et gelido marmore tecta iacet.
 Et mea decedens affecit corda dolore,
 Corda sed haec semper flere iubebat amor.
 Milleque me vario iactabant turbine curae,
 Illa sed unius nescia semper erat.
 Quam quoque si nosset, nunquid non firma manerent,
 Quae coluit semper iura pudicitiae?
 Quod nisi certa foret castae sententia mentis,
 Dedecus hausisset illa, sed ipse necem.
 Nunc tu, syderei dominatrix maxima mundi,
 Tu dea, si fas est te vocitare deam,
 Tu virtute potens, altae tu munere mentis
 Praedita, tu cunctis condecorata bonis,
 Da mihi, quod per se non nostra potentia pollet,
 Ut mea iam cesset corda agitare dolor,
 Utque velim, quod velle decet, quia certa salutis
 Spes erit inde mihi, gloria magna tibi.

115

120

125

Nam tibi posse datum, quantum tibi velle supersit,
 Errigere afflictos, praemia ferre piis.
 Nec tamen, ut magni me pendas, posco, sed illum,
 Qui nos ipse suam fecit ad effigiem,
 Nec, quam vilis ego, spectes, sed quantus ubique est,
 Non dedignatur qui meus esse pater,
 Maiestas immensa dei nostrique tuique
 Te facilem praestet propiciamque magis.
 Mens animusque mihi stupuit ceu Gorgone visa,
 Sed tamen assiduis fletibus ora madent,
 Fletibus heu cassis; sed tu, sanctissima Virgo,
 Imple, precor, lachrymis viscera nostra piis,

130

135

140

Ultimus ut saltem moeror mihi non sit inanis,
 Nec qui coenosis commaculetur aquis,
 Sed purus nitidusque fluens simul abluat omnes
 Erroris maculas munditiemque paret
 Et sese ad voti referens primordia nostri
 Exoret pacem iam mihi perpetuam. 145

Virgo fouens humiles meritoque perosa superbos,
 Tangat te nostrae conditionis amor.
 Principium commune hominum te flectat, ut istam
 Iam tibi deuotam suscipias animam; 150
 Quae si mortalis labentia munera formae
 Cum tanta ac tali nouit amare fide,
 Nonne magis sacri decus amplexabitur oris,
 Cuius et ipse deus captus amore fuit?
 Si mihi forte tuae dabit alta potentia dextrae, 155
 Fortunae ut cursu prosperiore fruar,
 Ingenium, linguam, calamum, suspiria, fletum,
 Cor, curas omnes, Virgo, dicabo tibi.
 Ergo magis tuta timidam statione carinam
 Siste, diu validis illa feritur aquis, 160
 Et noua mutatae verso moderamine mentis
 Vota videns placidis nutibus illa foue.

Aduentat suprema dies, discrimine paruo
 A gelido durae limine mortis abest.
 Sic properant anni, fugit aetas, tempora semper 165
 Praepetibus pennis irrequieta volant.
 Interea stimulis mea mens agitur amaris
 Conscia delicti iustitiaeque memor.
 At tu, diua, omnes vincens pietate fideque,

Quascunque aetherii continet aula poli, 170
 Me commendatum, mater mitissima, nato
 Redde tuo; precibus annuet ille tuis.
 Ut quem credentes hominemque deumque fatemur,
 Hic felix adsit propiciusque mihi,
 Et cum finis erit, caelestia limina pandat 175
 Egredienti animae spirituique meo.